



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Germanus Episc. 31. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

GERMANUM Musæ ad summos honores evexerunt. In his positus cum animum ad indigna munere suo studia dimitteret, & venandi amore illectus Palladi jam Dianam præponeret, monitor adfuit Amator urbis Pontifex, & arbore, in quâ ferarum capita defixerat, excisâ, insanam etiam venandi studium ex ejus animo extirpavit. Etsi enim irarum fugere aliquandiu Amator est coactus, rediit tamen paulò post, & inermem in templo GERMANUM aggressus, captum amicâ vi in sacerdotem attondit, infulaque suâ moriturus heredem fecit. Inde alium jam vidisses GERMANUM. Nemo modestior illo. Nulli digniores infulâ mores. Ille cilicio corpus vestire, ille præter panem hordeaceum & mortis monitorem cinerem nihil in mensam admittere. Ille reditus in pauperes dispensare, cum ex his uni tres reliqui aurei essent, jubere, ut hi etiam illis in prædam cederent. Verum cum ex his unum minister servasset, Numenque pro binis ducentos dono submitisset, notavit scilicet GERMANUS avaritiam illius, qui ingens fœnus (quod trecentorum aureorum futurum erat) imminuisset. Obiit anno CCCC. XXXV. patria suâ unicum præsidium. Nam dum
vixit,

31. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 477
vixit, contra imminentes urbi hostes ipse exercitum duxit, signa ipse tulit, utque animos civibus faceret, sæpè sapius cum suis *Alleluia* insonuit, itaque ferè unus rectè Epiniciam ante victoriam cecinit. *Ex Surio.*

Diem ex die ne differas; sed quàm celerimè ad Dominum te converte, antequam severissimi Iudicis sententia pronuncietur, quæ te vocet ad reddendam orationem talentorum, quæ tibi dedit; & vinctis manibus & pedibus in tenebras exteriores extrudaris. S. Ephrem de Pœnit. & Conf.

S. IGNATIUS LOYOLA C.

31. Iulii.

IGNATIUS è nobili milite Societatis *Iesu* Dux animi sanitatem pedum debet vulnere; hujus curationem. D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, castitatis verò donum *Virginis Magnæ*, quæ cum Filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad hujus aram cum opima spolia (arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentiæ rigores, *Mariæ* dictante, libellum illum *Asceticum* scripsit, quem ne libro satis laudes. Cùm horas *Virginis* percurreret, ad arcanum S. Triadis aspectum admisus est. Eiusdem Sabbatho extra se raptus, non nisi altero Sabbatho ad corpus rediit, animarum lucro inhians, vir annorum